



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **GUVAHATINA** NOVA DIOECESIS
CONDITUR, GUVAHATINA

SCILICET INTER INDIAE FINES Opitulante quidem domino, inter Indiae gentes catholicum nomen laetanter vidimus florere et latius proferri. Ideo Nos aptare properamus ecclesiastica instituta ad feliciores rerum inibi condiciones. Quapropter de sententia Congregationis pro Gentium Evangelizatione, consiliis quorum interest auditis, favente Venerabili Fratrem Georgio Zur, Archiepiscopo titulo Sestensi atque in India Pronuntio apostolico, quae sequuntur decernimus et statuimus. Haud mutatis, usquedum aliter provideatur a competenti auctoritate ecclesiastica seu religiosa, sedibus et muneribus cleri, sive cuius alii dioecesi, sive alicui Instituto vitae consecratae adhuc adscripti, qui tum ad illam ipsam Ecclesiam Shillongensem-Gauhattnam (quae posthac solummodo Shillongensis vocabitur) tum ad dioeceses Tezpurensis et Turanam pertinet, detractis nonnullis locis, novam dioecesim condimus *Guvahatinam* appellandam et deinde suffraganeam Metropolitanae Sedi Shillongensi habendam; quae hos districtus civiles comprehendet: Kokhrajjar, Dhubri, Goalpara, Barpetta, Nalbari, Kamrup, Nagaon (de hoc tamen districtu tribus demptis subdistrictibus (v. d. Thana) Rupahihat, Kaliabar et Samugari, qui usque iuri dioecesis Tezpurensis subsunt). Episcopalem porro cathedram ponimus in templo Sancto Ioseph dicato eodemque in Guvahatina urbe posito. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Georgium Zur quem diximus legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re demum ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesima mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo altero, Pontificatus Nostri quarto decimo.

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*
Antonius Macculi, *Protonot. Apost. s.n.*

*A.A.S., vol. LXXXIV (1992), n. 10, pp. 937-938

© Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana